974

NOMINE AUCTORIS.

ORATIO

DE

IIS QUAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

ANNO 1865—1866

TRISTIA ET LAETA ACCIDERUNT

QUAM HABUIT

REMBERTUS VAN BONEVAL FAURE

DIE 8 FEBRUARII 1866

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

E 19

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD JAC^M. HAZENBERG, CORN^I. FIL^M.
MDCCCLXVI.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK
0576 2528

ORATIO.

Digitized by Google

TYPIS A. W. SIJTHOFF.

Digitized by Google

1912/16 — 1433
974 E 19.

ORATIO

DE

IIS QUAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

ANNO 1865—1866

TRISTIA ET LAETA ACCIDERUNT

QUAM HABUIT

REMBERTUS VAN BONEVAL FAURE

DIE 8 FEBRUARII 1866

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD JAC^M. HAZENBERG, CORN^I. FIL^M.
MDCCCLXVI.

AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Praeterierunt anni paulo plus quam quinquaginta — agebatur dies sextus mensis Novembris anni huius saeculi decimi quinti — quum in urbe nostra festissimus dies celebraretur. Prodibant ex curia Amplissimi Curatores praeeunte Viro summo cui Institutionis Publicae Regimen erat commissum et prosequente toto Decurionum ordine. Prodibant ex aedificio Academico Rector Magnificus cum Senatu prosequente tota juventutis Academicae multitudine. Omnes magna pompa petunt Sancti Petri aedem. Apparet Academiam festum diem agere. Simul apparet communem omnium tota urbe totaque Provincia eam laetitiam esse, ut laeta plurimorum undique confluentium frequentia non possit intra angustos huius Auditorii parietes contineri. Ut in saecularibus et semisaecularibus requiritur ad feriarum celebritatem patentius aliquod et augustius templum. Maius enim et amplius aliquid quam saecularia agitur: agitur id ipsum unde postventura saecularia nascantur. Antiqua Academia, iniqua dominatione si non deleta at

certe mutilata et truncata restituitur in integrum, et ex renata populi libertate statim et ipsa renascitur.

Praeterierunt interea anni quinquaginta: me Rectore ante hos paucos menses semisaecularis annorum cursus exactus est. Profecto digna materies est, de qua primum omnium ad vos dicam, A. H., fata Academiae vertente anno transacta vobis expositurus.

Aeterna memoria dignum esse praedicat is qui Academiae L. B. historiam conscripsit diem illum sextum Novembris omnibus quibus haec Urbs et haec Academia curae. Respicite illorum temporum aerumnas. Vexaverat iniqua dominatio patriam universam, senserat Academia L. B., cui tamen plus quam caeteris pepercerant, calamitates publicas. Vetus Academia quae ex vindicatione libertatis nata semper et in omnibus spirabat libertatem, nunc domita et oppressa veluti militari imperio ad parendum erat redacta. Hinc vinculis soluta triumphat excusso jugo dominationis tam anxie et suspiciose lucem fugientis ut cathedram juris naturalis publici et gentium ferre non posset.

Sed patriae liberatio Academiae ita demum salutaris et frugifera fieri poterat ut veluti novis fundamentis vetus Academia tamquam de novo conderetur. Factum est hoc ipsum die sexto Novembris, ex quo decretum Regium die secundo praecedentis mensis Augusti factum ad effectum venit.

Ut in illa tristi servitute optime senserant libertatis bona, ita nunc Academiae renascenti Libertas spiritum vitamque reddidit. Facundo ore et ardenti animo id tum praedicabat

illius anni Rector Magnificus praeclarus ille KEMPERUS, qui et antea torpentes popularium animos ad spem libertatis erexerat et, ubi illa spes affulsit, forti et efficaci opera patriae libertatem vindicaverat. Eodem ardore animi inflammatus idem et patriae vitam spiritusque liberos et Academiae restituit, et vocatus ipse ad Academiam veluti nova libertate imbuendam ex animi sententia aperit quis novus spiritus, quae nova mens molem Academicam permeet agitetque.

Institutionis publicae curam non pro onere pecunia redemtam vult Legislator, imo vero nihil habet antiquius quam ut disciplinarum studia floreant vigeantque. Hinc eruditionem adjuvat et excolit, datque operam ut illa lux omnibus rerum optimarum feracitatem et fertilitatem pariat. Illa autem vis vitalis et esse debet et est libertas!

Libertas institutionis Academicae conspicienda in eo iure, quod omnibus perinde conceditur qui partem quamlibet Academicae disciplinae docere velint, suo arbitratu docendi. Non institutus Professorum ordo sic, ut officiatur luci aliorum si quis alia via ac ratione cognoscendi sitim explere posse aut sibi aut aliis videatur.

Docendi libertas constituta: nulla lege, nullo impedimento liberum docentium arbitrium imminutum est, sua quisque scientia, suo judicio, sua experientia, suo arbitratu utatur.

Ad confirmandam libertatem cura et sollicitudine soluta mens docentium, ut in sua quisque disciplina sint toti. Prospectum est ut sine cura sint et in praesens et in futurum. Prospectum est ipsis; provisum est, si quid iis acciderit, ne metuant suis.

Discendi constituta libertas. Discas tuo arbitratu, ubi voles, quamdiu voles. Dabitur discendi quidlibet commodissima facultas et copia, sed ubi didiceris aut quomodo didiceris non laboratur: demonstra te id scire quod praedicas idque satis est.

Sic alias KEMPERUS testatus est, „quam liberalem, ut aiunt, legem extorquere anteriores conatus per XX annos non potuissent, eam liberalissimam sponte Regem constituisse." Licebatne illi, qui ita sentiret dicere illo die de justa laetitiae causa et ob ea quae tum tollebantur, et ob ea quae tum instituebantur nova? Nonne utraque de causa dies ille aeterna memoria dignus appellari debuit?

Verum estne etiam nobis nunc ille dies illo nomine appellandus? Nemo non patriae civis exultat gaudio excusso alienae dominationis jugo etiam sua virtute et viribus. Quis patriae civis, cui Academica institutio curae, non laetatur sublata esse impedimenta, quibus olim a suspicioso tyranno premebatur. Quam inflammatis animis, clarissimo DE VRIES verba faciente, memoriam restitutae ante annos quinquaginta patriae libertatis hoc ipso loco celebravimus! Verum iterum quaero, estne etiam nobis nunc laeta res non tantum illam institutionem per X lustra viguisse, sed etiam ipsam illam institutionem illo tempore sic fuisse comparatam? Utrum recte et vere laudata a KEMPERO est, an verae sunt nonnullorum voculae ac querelae qui docendi discendique libertatem nunc poscunt et palam praedicant nunc Academicam institutionem prorsus non esse liberam sed vinculis constrictam et ad cer-

torum hominum voluntatem et arbitrium, tamquam aliquod monopolium, accommodatam?

An fefellit KEMPERUM opinio quum rem a se perfectam sibi gloriae et laetitiae duceret? Fieri potest, H. A., idque cur sit factum mutata tempora declarare possint. Ea erat tum animorum conditio ut vel ipsa importuni domini excussio pro perfecta et absoluta libertate haberetur. Jactabatur recuperata libertas ubi nomine mutato eaedem clitellae, ut in fabula est, iumento portandae imponebantur, et iidem homines eodem ore novae libertatis bona extollebant et regiam potestatem veluti potestatem quandam patriam qua tum homines laeti fruebantur. Neque tamen huius erroris in KEMPERI oratione ullum vestigium est.

Habebant autem illa tempora etiam hoc, ut libertatis amor ortus esset potissimum ex ipsis servitutis malis et aerumnis, sed accederet superiorum temporum recordatio, unde libertatis si non metus quidam et formido sed cura certe quaedam et sollicitudo oriretur, ne libertas modum excederet. Quum apud omnes constaret veram libertatem populi sine otio et quiete publica consistere non posse, diligentes nimium et anxii otii et quietis tuendae causa aliquid de libertate detrahebant. Sic quoque docendi discendique libertas finibus quibusdam circumscripta habebat modum. Estne sic imminuta et laesa? Fieri potest; sed non videtur cadere in KEMPERUM ut libertatem diceret quae esset vinculis constricta et ad certorum hominum arbitrium accommodata.

Quemadmodum illi qui aliquam rem probant et admirantur,

quum toto animo illam partem intuentur quae niteat, id quod illum splendorem obscuret specioso nomine celare conantur, sic illorum adversarii contra maculis quibusdam offensi et sic bona non videntes toti rei nomen invidiosum imponunt. Sic igitur mihi videntur Academicam institutionem appellare vinctam et ad certorum hominum arbitrium accommodatam illi homines qui non metuunt, aut etiam taciti animis exoptant, ut ex infinita libertate exstinguatur vel intereat omnis Academica institutio quae quidem sit illo nomine digna, et quae, laxatis omnibus vinculis, permitteret omnibus effrenatam illam libertatem, ut quam minimo labore et negotio et quam tenuissimis studiis caperent illos fructus, quos sola studia recte et sapienter instituta diligenterque peracta afferre cultoribus deberent.

Non sunt ergo inania declamitantium verba, si qui libertatem docendi discendique decreto Regio anni 1815 fundatam esse praedicant. Utraque pars diserte eo decreto stabilita est; sed ita stabilita ut utrique modus quidam ponatur; sed multum me iudice fallatur is, cui aut supervacuum aut noxium esse videatur in tali re modum ponere quem nemo excedat.

Donec cura Academicae institutionis erit cura publica, quamdiu Universitates publice et ex aerario constituentur et alentur, tamdiu primarium erit Universitatum officium ut ex iis prodeant viri ad rempublicam gerendam aut adjuvandam idonei. Sed ex ea re id quoque necessario consequitur ut illi, qui ex Academica institutione prodeant, prae caeteris ad rempublicam gerendam et adiuvandam, idonei esse publice

existimentur, unde hoc sequitur esse e republica ut Universitates quam optime officium suum praestare possint. Quae sit in quaque re ratio optima, dubium esse potest, sed dubium non est quod dicam: si necesse est in eam rem libertatem finibus quibusdam circumscribi, id quod necesse est simul justum et aequum est. Quamdiu ipsius reipublicae intererit, quod et quemadmodum Universitates constituantur, tamdiu publice erit providendum et ut constent et ut uberes fructus ferant.

Alienum est ab ingenio humano existimare eadem nunc omnibus placere quae ante hos quinquaginta annos placebant. Nonnulla videri emendanda, nonnulla emendari oportere, quis mirabitur? Sed an non est propterea cur ea laudemus quae anno 1815 constituta sunt? Imo vero apud me constat illorum temporum legislatores, qui èt veterem morem Academicum sub Rep. èt recentem sub Gallica dominatione probe nossent, nihil melius aut praestantius proferre potuisse. Et criminabitur aliquis adhuc illud Decretum valere, quamquam emendandum esse omnes consentiunt et lex fundamentalis iubet, quamquam omnes legis vitia arguimus, sed nemo est qui corrigat? Sed quidquid aliquis criminari aut queri poterit de modo quo docendi discendique libertas tum fuerit constituta, nemo facile optabit fore ut nova lex aliis quam his principiis nitatur.

De libera docendi methodo nemo queritur. Legislator et rem ipsam et efficiendae rei rationem recte perspexit. Quis est qui credat illam libertatem utiliter posse imminui?

Summo jure KEMPERUS laudavit liberalitatem, qua prospectum est ut sine cura honeste et laute viverent qui disciplinam Academicam essent tradituri. Quantum distat illa liberalitas a sordida parcimonia recentioris memoriae quae in nulla alia re fuit sordidior. Recte dixeris legis mutandae animum et peritiam cerni potissimum in supprimendis nummis qui ex lege in usum rei Academicae erogandi fuissent.

Spirabat Decretum anni 1815 largam liberalitatem. Non erat cura rei Academicae pro onere legislatori quam pecunia redemtam vellet. Non tantum, quae in rem praesentem erat necessaria pecunia, suppeditavit sed postventurum novum usum praevidit, semper scientiarum ambitu latius patescente. Professorum is numerus constitutus quo minorem esse non liceret; augeri pro re nata libere poterat. Novas cathedras institutum iri aut pro una duas substitutum si usus posceret, tantum non promittebatur. Itaque vix ulla Facultas intra eundem Professorum numerum stetit. Excepta Facultate theologica, quamquam et illic minime disciplina intra veteres fines se continuit, in omnibus valuit illud: „Divide et impera" idque non ad frangendas vires sed ad amplificandas. Sic Ars chirurgica et obstetricia, Chemia, Botanica et Zoologia, Mathesis et Physica, Ius Romanum et Hodiernum, Patriae litterae et Historia, olim singulis nunc pluribus demandata, et his ipsis diebus laetati sumus divisis omnium intelligentium plausu Anatomia et Physiologia. Quam dolemus illam laetitiam non esse integram! Quae res a nostro HALBERTSMA exoptata ut „totus in Anatomia superaret se ipsum" ea nunc

venit ad effectum tamquam ex illius ultimis tabulis quas ex hac ipsa cathedra nuncupavit!

Ex eadem liberalitate novae cathedrae parantur. Laeti recordamur quid hoc anno vertente Linguae Sanscritae sit praestitum.

Si quae forte sordes angusti animi animadvertantur, quum professores extraordinarii pro ordinariis creantur, non est illa culpa Decreto imputanda sed iis qui contra Decreti sententiam fisco nimium consulebant.

Nonne eadem sordida parcimonia grassata est quum certamina litteraria tollerentur, nunc Regis liberalitate in vitam revocata? quum tollerentur studiorum stipendia olim nimium multa nunc ad justum modum redacta?

Quid dicam de apparatu et supellectili studiorum? Hic potissimum apparet quanto iure KEMPERUS dixerit non pro onere curam Institutionis publicae pecunia redemtam velle rempublicam sed id magnopere agi ut disciplinae laetae efflorescant. Ubi legas ea quae diligenter praescripta sunt de exstruendis aedificiis, bibliothecis, museis, laboratoriis, animadvertas quantum pecuniae his rebus attribuatur in annos singulos, credas Legislatorem sibi videri ea aetate vivere, quum primum Academia conderetur. Dixeris post renatam patriae libertatem renatas esse maiorum virtutes prudentiam et magnitudinem animi, ut quemadmodum illi splendidam et duraturam Academiam condidissent, sic eam seri nepotes de novo iisdem animis conderent.

Sed eheu, quemadmodum olim ante annos propemodum

trecentos dicta et facta inter se congruebant, sic nunc nullo modo facta dictis respondebant, et litera scripta manet pro testimonio èt probe scivisse homines quid requireretur èt quae necessaria essent praestari non potuisse.

Quo plura Academiae Lugduno Batavae promissa fuerunt, eo plura aegerrime desiderat. Estne opus, A. H., vobis in memoriam revocare promissam esse nobis aedificii Academici exstructionem hac Musarum sede digni? Ecquid creditis aedificium tantae amplitudinis nobis deberi ut praeter reliqua omnia in usum Lectionum intra vastos suos fines Museum Anatomicum et Physiologicum et Pathologicum et Physicum, quin adeo Museum historiae naturalis complecteretur? Parturiebant montes! Quid per annos quinquaginta natum est?

Sed leniunt hunc dolorem dicam an indignationem complura quae hi decem anni grata et accepta attulerunt. Grati recolimus merita Curatorum, quibus debemus et vastum aedificium Chemiae et Physicae et Anatomiae usibus comparatum et splendidam speculam Astronomicam et Bibliothecam ita ornatam et instructam, ut conveniat cum illa magnificentia, qualis ante annos quinquaginta erat in hominum animis et exspectatione. Partes igitur quaedam praeclare expletae sunt, sed cupidi exspectamus ut totum ponatur.

Quidquid est constructum novi, desideramus semper aedificium Academicum. Ostendamne multis verbis saltem novum auditorium rem esse non luxuriae supervacaneae sed prorsus necessariam? Stant adhuc solidi parietes, quamquam vetustae trabes ingemiscunt oneri. Si nondum ruinam haec

minantur, si de vita nondum dimicamus, at nuda et gelida et inhospitalia omnia sunt. Musae coactae tristem sedem servant sed Gratiae olim evolaverunt.

Et ubi sunt Professorum auditoria? Passim tota urbe dispersa et pleraque omnia eo statu ornatu cultuque ut satis appareat privatorum facultates publica munificentia esse sublevandas.

Et praeter illa quae olim inertia neglexit, alia atque alia semper nova frustra requiruntur et augent praesentes molestias atque incommoda. Docuit usus, justas querelas semper esse iterandas ut aliquid fiat boni. Habebit mox Academia Groningana, habebit Ultrajectina Laboratorium Physiologicum sed Lugduno-Batava nihil eo indigere videbatur scilicet! Quam diserte contrarium docuit ex hoc ipso loco judex idoneus! Sed jam divisis cathedris unde Anatomia et Physiologia docebitur, unum gradum protulimus, et sic speramus fore ut ad huiusmodi Laboratorium perveniamus.

Sed si tacere non licet quae omnium voces jam multos per annos consensu exposcunt, tacere non licet de Nosocomio. Laus et honos sit legislatori, qui anno 1815 rectissime rem perspexit ostenditque qua via institutio clinica quam latissime patere et plurimum plurimis prodesse posset. Quamquam quae illis temporibus erant satis, nostris non sufficiunt, et clare demonstravit Legislator se sentire, debere patriam tenere illud: „magnam nobilitas generis optimarum artium imponit necessitatem.'' Intelligebat penitus avitam laudem conservari oportere summi BOERHAVII meritis partam et per illius discipulos toto orbe propagatam! Quem exitum ea res habuit?

Quum superiore anno Academia Vindobonensis quinta saecularia celebraret sororesque Academias ad ea concelebranda invitaret, Vindobonensis Academia Lugduno-Batavam praeteriit. Jam iure queri possis de ingratis hominum animis: excidisse posteritatis memoria summum virum VAN SWIETEN, BOERHAVII nobilissimum discipulum, jecisse fundamenta quibus Vindobonensium gloria et laudes nitantur; sed hoc quaero: putatisne Academiam Lugduno-Batavam sine quadam anxietate animi sedem honorificam sibi debitam occupaturam fuisse, neque futurum ut pudore suffunderetur ob patriae inertiam, ubi videret exaruisse apud nos opimam plantam, cuius tenuem propaginem illi sua cura et studio florentissimam et validissimam fecissent. Si unquam alibi in nos cadit illud: „deliberante Senatu periit Saguntum!" Multumne distat ab interitu status is, qualem superiori anno summae vir in talibus auctoritatis descripsit? Personant adhuc aures verbis quae indignabundus HALBERTSMA edidit: „horribile dictu, horribile auditu" et quibus intonuit: „sed rerum testimonia adsunt!"

Res in eodem statu est. Sed ubi proxima pernicies est vicina est salus, et gratulor mihi cui licet annuntiare laetioris diei lucem affulgere.

Grandis pecunia publice in hunc usum attributa. Decuriones huius urbis idem fecerunt. Coalescunt animi et res convalescit quae ex ea concordia ad exitum perducetur. Laudare hic juvat sapientiam majorum quibus placuit ut is qui Decurionum urbanorum ordini praeesset idem in Curatorum collegium adscisceretur. Tanto magis lugemus virum amplis-

simum qui utrique officio tam abundanter satisfaciebat. Nunc speramus fore ut omnes in consilio publico huius civitatis intelligant non modo interesse humanitatis, interesse disciplinae medicae, sed etiam vehementer esse e re totius civitatis, ut ea res quam primum ad felicem exitum perducatur. Namque in ea conditione et statu nunc studia Medicinae versantur, tanto studio et ardore certant inter se nobiles civitates ut Medicae arti sedem primariam apud se comparent, ut agatur et in discrimen veniat Academia ipsa. „Videant igitur Consules ne quid respublica accipiat detrimenti!"

Redeat nunc mea oratio illuc unde digressa est. Revocavi vobis in mentem ipsa principia quae Legislator anno 1815 in ordinanda Academica institutione secutus est, quae equidem respiciens arbitror nobis iure diem quo Academia est restituta in integrum, diem memorabilem appellari debere.

Neque tamen hoc ita dicimus quasi omnia in eodem statu fideliter conservanda putemus. Quid mirum legem ante hos quinquaginta annos latam nunc in omnibus ab omni parte non probari. Quod maximum est, Lex Fundamentalis diserte imperat ut emendetur, idque tam graviter imperat, ut dies ad novam Legem subrogandam praestituta jam quindecim annorum intervallo sit superata. Ergo ferenda lex nova est. Sed si, spreto legis fundamentalis imperio, vir potentissimus, cuius novam legem rogare officium est, palam pronuntiavit nil festinandum, namque Academicam institutionem in praesenti statu dici posse patriae esse bonae frugis

feracem, habet illa res insignem laudem legislatoris anni 1815 èt ob ea quae praecepit èt ob ea quae caute maluit indefinita relinquere.

Erit tamen aliquando ille dies quo legis imperio parebitur. Periculosae plenum opus aleae erit imprimis ob longas moras. In illo more codicum legis condendorum sub quo vivimus, me iudice optimum factu est leges per partes emendare, ne quid quod bonum et probum inest, rebus malis et noxiis contaminetur, ut leges semper temporibus moribusque conveniant. Si cessas et cunctaris emendare et corrigere partes, ut serius totam legis compagem ac seriem simul ordines, novis semper incommodis vitiisque res in invidiam adducitur, et ubi tandem ad corrigenda omnia acceditur, periculum est ne bona cum malis una abrogentur et pereant. Habet hoc humana natura ut felicitati imaginariae postventurae postponat id, quod praesens usus postulat.

Certum habeo recte facturum Legislatorem huius aetatis, si principia legis veteris retinebit. Retineat libertatem in omnibus quae enumeravimus et in eo principio libertatis docendi discendique ita ponat fiduciam, ut eam latius proferat, et multa quae nunc indefinita sunt, indefinita relinquat. Imprimis ingenio temporum nostrorum obsecutus non tantum praeceptis sed etiam factis provideto, ut praesto sint studiis subsidia et adjumenta unde laeta efflorescant. Sic facito appareat praeter quam ex ipsa nova legislatione Institutionem Academicam reip. esse perpetuae curae, atque iis esse cordi qui pro populi commodis et prospiritati excubant.

Parcus in definiendo legislator palam faciat se fiduciam habere animo repositam iis, quibus Academicae juventutis institutio committitur. Namque ab illis pendet potissimum omnium consensu sitne Academia bonae frugis ferax an sterilis futura. Quis autem illis, ut KEMPERUS iam dixit, honor haberi maior potest, quam ut iis confidatur? Sic magno animo gravem provinciam magni periculi et aleae sibi impositam sustinebunt. Habeant huius rei rationem inprimis illi quorum in legibus ferendis aliquae partes sunt, et procul a sese arceant illam male latentem invidiam adversus ea quae nostra privilegia appellitari assolent. Denique caveant ne quid refigant mutentve anteaquam veram rerum praesentium conditionem probe ac penitus cognoverint!

Curatores, viri Amplissimi! Juvat animum meum coram vobis dicere de florente Academiae statu, nam Vos nihil relinquitis intentatum ut sit illa perpetua prosperitas. Utinam ipsi omnes florentes adessetis! Sed de vestro quoque numero unum mors rapuit eximium virum SIEGENBEEKIUM. Lege adscitus in collegium Curatorum, quia huic civitati praeerat, habebat alias causas cur tanto honore dignissimus haberetur. Eximiam et ipse dederat litteris et disciplinis operam. Excoluit ipsas in hac nostra Academia et ita excoluit ut paterni nominis laudem et gloriam tueretur. Bis, in facultate litteraria et juridica, victor coronatus summos in utraque facultate

honores ita tulit ut libelli ab eo in eam rem conscripti etiamnunc laudentur.

Ubi in vitae lucem et praxim prodiit, expertus est quanti esset in iuventute latum theoriae ambitum tota mente et intento studio complexum esse. Ad munus Ministerii Publici vocatus sponte in iure criminali tabernacula posuit conscripsitque de hac iuris parte Quaestiones quae utcumque breviores non obscurantur splendore luculenti libri quem ea de re cl. DE BOSCH KEMPER composuit.

Neque ei minus illa studia profuerunt, quum huic civitati praepositus est, cui ita praefuit, ita consuluit, ita res eius omnes prudenter periteque administravit ut facile appareret ei solidam doctrinam ubique suppetere. Augebant has ingenii dotes praeclarae animi virtutes. Quis SIEGENBEEKIO humanior? idem èt sui iudicii èt lenis erga dissentientes, commodus, facilis et idem gravis et constans.

Quid tali viro potuit iucundius accidere, quum ad huius civitatis regimen vocaretur, quam ut simul vocaretur in illud collegium quod dilectissimam sibi Academiam tuebatur fovebatque; quid ipsi Academiae evenire potuit acceptius quam ut veterem alumnum carum sibi, sui studiosum et amantem, pium, diligentem, strenuum in Curatorum numero haberet. Quod ab illo exspectabatur factis praestitit. Quoties intelleximus eum nobis universis et singulis optime velle. Vel illud ipsum quod novissimum praestitit id satis ostendit. Dolorem suum, suas molestias prae Academiae salute contemsit.

Magnam, magnam in SIEGENBEEKIO jacturam fecimus, et quo gravius animi in praeclari viri morte commoti sunt, eo stabilior in animis nostris memoria viri manebit, et quamquam ipse a nobis discessit, optimarum artium, quae in illo amavimus, exemplum nobis servabitur.

In Professorum ordine iterum sensimus pallidam mortem aequo pede venire et maturam senibus et celerem iis qui sint in robore et flore aetatis. Lugemus exacta aetate senem PEERLKAMPIUM; in medio aetatis cursu vigens valensque HALBERTSMA concidit. Pium parentandi officium utrique praestandum.

Non venit PEERLKAMPIO mors inexspectata. Ante biennium senex eximius dedit ad Rectorem Magnificum, veterem discipulum et fidelem amicum, breves, ut solebat, literulas et concisas in hanc sententiam: „Sentio mihi mortem instare, quam quieto et placido animo exspecto. Tuum erit de me rebusque meis pauca publice referre. Dabo quod referas;" et in schidula haec adscripserat, quae veluti ex ipsius ore audite:

„PETRUS HOFMAN PEERLKAMP natus Groningae 2 Februarii 1786 patre RUDOLPHO, Praeceptore in Gymnasio urbano, matre HENRICA VEENHORST;

13 Augusti 1801 in album Academiae relatus mense Augusto 1803 Harlemum vocatus munus Praeceptoris annum gessit;

ab anno 1804 munus Rectoris Dockumi in Frisiis;

anno 1816 successit cl. J. TEN BRINK Rectori Gymnasii Harlemensis.

Inde anno 1822 Leidam in Facultatem Phil. Theor. et Litt. Hum. vocatus, morbo correptus, qui omnem animi intentionem vetabat, anno 1849 muneri renuntiare coactus est. Caelum salubre et ruris Hilversumensis amoenitas valetudinem restituit; adeo ut extremam vitae partem in redigendis annotationibus per multas veterum scriptorum editiones sparsis, transigere potuerit. Obiit...."

In hoc verbo desierat et COBETO scripsit: „hunc tibi ultimum diem meum explendum relinquo."

Habetis, quae PEERLKAMPIUS ipse his ipsis verbis voluit de se referri. Agnoscitis in his PEERLKAMPIUM et PEERLKAMPII animum simplicem, candidum, ab omni fuco alienum et laudationem ne alienam quidem nedum suam ferentem. Nuperrime vir pereruditus ex Brittannia, qui Academiam Lugduno Batavam diu et multum noverat, ita scripsit: „Nusquam plures ex illo genere viros quam Lugduni Batavorum exstitisse credo, qui in Literis colendis nec maledicunt cuiquam nec adulantur; qui ab honoribus aucupandis et a quaestu faciendo alienissimi, quo veritatis et bonarum artium amor ducit simplicem et tranquillum vitae tenorem persequantur." In neminem haec magis quam in PEERLKAMPIUM conveniunt; qui si quis alius fuit antiquitatis exemplum; antiquarum artium et antiquorum morum.

Huius ut ego viri in paucis celeberrimi merita ponderem suoque pondere aestimem, quis postulat, quis exspectat? Exoriare aliquis ex illius veteribus amicis et discipulis qui nobis tanti viri naturam et ingenium et mores enarret; qui

describat candorem et simplicitatem animi ingenui et gravitatem et constantiam viri mira quadam humanitate et festivitate conditam, animumque invictum et libertatis amantem et pietatem summam ab omni superstitione vacuam et ardentem patriae amorem cum insigni stirpis Regiae observantia coniunctum, et pulchri sensum acerrimum cum veri et honesti sensu conspirantem, et oris facundiam et scribendi elegantiam, et venustatem cum maxima sanitate et perspicuitate coalescentem. Haec uno ore celebrant qui PEERLKAMPIUM in aliqua vitae parte cognoverunt aut de cathedra docentem audiverunt. Qui de illo dicturus est, nae ille habebit laetam dicendi materiem. De illa copia ego delibo unum.

Admiratur Brittannus ille nostrates, qui nec maledicunt cuiquam nec adulantur. De adulationis odio quid attinet dicere in eo, quo nemo fuit libertatis vindex et assertor constantior fortiorque. Ne de maledicentia quidem in PEERLKAMPIO cogitandum, qui ingenti animo omnia illa spernebat quamobrem eruditi homines inter se nonnumquam velitantur. Sed aliud est aliis non maledicere, aliud aequo animo aliorum convicia ferre. Nemo unus plures odiosas criminationes et stultorum maledicta et malevolorum convicia aequiore animo tulit quam PEERLKAMPIUS. Postquam edidit in lucem suum Horatium, undique agmine facto impetus in eum factus est, undique indignantium voculae et querelae et minae in audacem criticum non convellenda convellentem. Libri et libelli omne genus tamquam tela in hostem torquebantur. Ipse dixit: „solus contra millia in hac arena consisto.” Sed unus

homo, cui pectus sapiat, in tali re multorum millium instar est. Vicit unius sanitas hominum innumerabilium doctam et indoctam insipientiam. Fatigavit hostem, quieverunt alii, alii ad sanitatem redierunt, caeteri jacebant. Sic PEERLKAMPII lenis sapientia ex iniquo certamine victrix discessit. Nullius petulantia vel protervitas invictum animum neque vexavit neque graviter commovit. Leniter ista omnia et hilariter contemnebat vel potius, ut audire est ab illis qui intima ejus familiaritate utebantur, ne contemnebat quidem, quia vix illa curabat vel cogitabat. Scripsit ad amicum: „studia et rumores et sermones contemsi neque verbum respondi neque unquam respondebo." Quantum sic fecit melius et vixit suavius quam si bonas horas inanibus rixis perdidisset!

Quid dicam de eruditis PEERLKAMPII laboribus, de varia et diffusa doctrina, de sollertia et acumine ingenii deque scribendi dicendique elegantia et venustate, quae nunc tenet legentes ut olim auditores ab illius ore pendebant. Dixerunt alii et dicent de ingenii monumentis, quibus sibi ipsi monumentum aere perennius posuit. Non est meum quid in quoque libro praestiterit enarrare, nedum dijudicare. Quantum in Graecis Litteris valuerit Xenophon Ephesius declarat, quae fuerit in ipso poëtica facultas èt carmina quae panxit argumento sunt, èt admirabilis illa Censura, quam egit in omnes qui in patria nostra Latinas Musas coluerunt. Nihil illo libro sanius, nihil venustius cogitari potest. Verissimum est quod cl. BOOT nuper pronuntiavit: „vel illi qui poësin Latinam contemnunt, benignius de ea statuere debent, quod, ni ma-

jores nostri carmina Latina pangere voluissent, PEERLKAMPIUS talem librum scribere non potuisset." Sed omnis ingenii PEERLKAMPIANI vis et copia et varietas et acumen in crisi poëtarum Romanorum, in Horatio praesertim Virgilioque cernitur. Idonei harum rerum judices in his PEERLKAMPIUM cum BENTLEIO componunt. Idem in utroque mentis sollertissimae acumen, eadem doctrinae inexhausta copia, eadem dictionis perspicuitas et ubertas. Sed vivunt haec et sunt in omnium manibus neque cuiusquam praeconio indigent. Nos pro ingenii tenuitate satis habemus palam declarare quanti faciamus talis viri memoriam, et quantopere Academia Lugduno-Batava PEERLKAMPIO glorietur, finemque facimus in Horatii Virgiliique versiculis, quibus ille plurimum delectabatur. Ipsi ius erat illud Horatii usurpare:

> Non omnis moriar, magnaque pars mei
> Vitabit Libitinam

et quamdiu stabit Academia Lugduno Batava, quamdiu litteris suus honos constabit, tamdiu in te, candida anima, cadet illud:

> Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Diximus de sene, quem grandiores natu nostrum viderunt et amaverunt, dicamus nunc de illo, quem omnes vidimus, quem dileximus omnes.

Quam saepe jam nominavi illum virum, quem ereptum lugemus; nam rerum ordinem enarro ab illo inchoatum, quum ipse nuper ex hoc ipso loco Academiae fata enarraret.

O hominum ignaras mentes! Quis tum cogitabat fore, ut is qui tanto animi ardore corporisque vigore pro disciplinis suis pugnabat, tristium parentalium, quae more maiorum pie quotannis facimus, foret materies et argumentum. Utinam in iis quae de HALBERTSMA dicturus sum iusto vestro desiderio satisfaciam!

HIDDO HALBERTSMA JUSTI filius, ex Frisia oriundus, in Daventriensi Athenaeo primum studiis imbutus est, ubi eximium virum VORSSELMAN DE HEER audivit; deinde ad nos venit seque viris cll. SANDIFORT, MACQUELYN, BROERS et PRUYS V. D. HOEVEN in disciplinam tradidit et post sexennium, conscripto specimine de ANTONII LEEUWENHOEKII meritis in partes quasdam Anatomiae microscopicae summos in Medicina honores reportavit.

Defuncto laboribus Academicis contigit id quo nihil medico fortunatius contingere potest, ut regiam studiorum viam ingrederetur et obiret urbes nobilissimas virosque in arte principes cognosceret videretque seque exerceret in ingentibus Medicinae, ut ita dicam, palaestris. Per biennium Parisiis et Vindobonae moratus illic chirurgiae hic obstetriciae arti dedit potissimum operam, nulla re, quae agenda videndaque magno futuro medico esset, praetermissa.

Interea eum patria non amittebat ex oculis, sed cogitare coepit quem fructum ex eius doctrina capere possit. Sapienter vidit ille qui tum res regni internas curabat, multum ante prospiciendum esse ut essent qui vacantes cathedras ornarent; itaque fovenda esse juvenilia ingenia et ad fu-

turum munus Professorium informanda. Sic HALBERTSMA, SANDIFORTO futurus successor destinatus, publice iterum profectus est ut de industria Anatomiae et Physiologiae navaret operam et si quid esset apud exteros praeclarum ad nos transferret. Itaque artis chirurgicae et obstetriciae laurea prius auctus dedit se iterum in viam bienniumque Berolini, Lipsiae, Pragae transegit. Pragae factus est certior sese Medicinae professorem extra ordinem creatum, quam provinciam suscepit die 30 Septembri anno 1848.

Vita apud exteros acta patriae amorem auxerat. Omnibus viribus eniti coepit et vitam impendere vindicandae pristinae majorum in sua arte gloriae. Contemplatus foris quantum nobis deesset instaurare laudem avitam instituit non jactando veterem sed quaerendo novam. Elaboravit ut esset suis aequalibus quod illi antea suae aetati fuissent. Hinc factum ut munus auspicaretur oratione: „de ALBINI anatomiae tractandae methodo comparata cum ea quam nostra tempora sibi deposcunt." Audacter et confidenter praesentia vitia arguit et corrigendi viam monstravit, et quamdiu munere functus est studio indefesso numquam destitit id quaerere, id parare, quod esset in sua arte perfectissimum. Sic sibi paravit adjutores sollertissimos, quibus fretus disciplinae fines proferebat et ipse totus erat in eo quo maxime natura ducebat. Sic subsidia sibi et instrumenta paravit, sine quibus id quod juste requiritur praestari non potest. Bonum factum est èt decori Academiae èt ipsi ut illo ipso tempore novum theatrum anatomicum aedificaretur, namque de ipsius con-

silio ita comparatum est ut cum praestantissimo quoque, etiam exterorum iudicio, contendere possit. Utebatur idem ea docendi methodo et alacritate ut etiam tardiores incitaret et acutiores inflammaret ex quo omnium admirationem tulit et laudem, artem anatomicam, quum jaceret, erectam et ad summum fastigium per illum productam esse. Factum est ex ipsa rei natura, ut HALBERTSMA, quum totus Anatomiae amore arderet in altera provincia non satis sibi ipse satisfaceret. Neque tamen Physiologiam negligebat, et in ea quoque egregie versatus est, sed intelligebat optime Physiologiam eum virum sibi deposcere qui in illa arte totus esset. Itaque flagitare non destitit ut suum sibi Physiologia professorem haberet, et ita demum Laboratorium Physiologicum comparari posse, quam rem imprimis necessariam esse demonstrabat. Quis credat tam iustum desiderium, tam salubre et frugiferum ex tanta animi magnitudine profectum tamdiu inexpletum mansisse!

Candorem animi aperti, qua solebat dicere sententiam, et humanitatem qua in dissentiéntes utebatur, numquam deposuit et eodem animo quum Rectoratum deponeret libere dixit de pugna inter Practicam et disciplinas biologicas. Neque aliter fieri poterat. Erat ex candore et humanitate et benevolentia indoles tota composita. Erga collegas, familiares, discipulos semper et ubique apparebat.

Natus in Frisia resipiebat patriam; acrior nonnumquam aut paulo truculentior non erat propterea minus humanus sed habebat insitam animo nobilitatem. Non natales sed

virtus eum faciebat nobilem, vel ut nunc loquimur, nobilitabat, quamquam ea verba auro inscripta non fulgebant ei in pectore.

Recordamini illam comitatem et alacritatem et benignitatem in vultu in oculis, in iungenda dextra! Haec indolem animi arguebant. Natura et ingenio hilarior, quamquam totus in studiis, amabat tamen in tempore festivitatem convivalem et dulcissimas amicorum confabulationes. Et tamen illam naturam tam hilarem, festivam, firmam et validam occultum malum, in tenebris serpens, vix intimis amicis notum, destruebat. Spes erat aestivis mensibus amoenitatem naturae et coeli clementiam in Geldria aegrum recreaturam, ubi ipse laetus laetum cernebam et dulces cum eo horas fallebam; sed frustra ea spes fuit. Reversus huc post ferias novum mali impetum sustinuit et mox ad aquas salutares profectus ad spem ultimam experiendam.

Vicit vis mali! Meministis diei 22 m. Novembris quum nos acerbus nuncius afflixit. In flore aetatis raptum luget Disciplina industrium et indefessum sui cultorem, Academia decus et ornamentum, nos fidelem amicum, studiosa juventus eximium et dilectissimum praeceptorem. Lectissimae coniugis et patris grandaevi luctum quis verbis enarret?

Aestumatissimi collegae! si multas hoc anno acerbitates hausimus eo magis gaudemus spem esse aestumatissimum collegam VERDAM e gravi morbo quo ipsis hisce diebus fuerit

correptus, recreatum iri; gaudemus etiam compluribus nostrum laeta et prospera contigisse.

Primam liceat commemorare fortunam quamquam evenit novissima, et quia una omnium maxime est memorabilis et quia contigit tibi, dignissime VAN HENGEL, qui nostrum omnium primus es, qui nos omnes et multos longissime aetate superas, sed tamen lubenter vivis nobiscum et quem adeo omnes et veneramur et amamus. Gaudemus te illum diem laetum inter laetos recoluisse, quo ante annos quinquaginta munus professorium in Athenaeo Franekerano suscepisti. Bene tibi, qui solus superstes es ex omnibus, qui tum ubique ad restitutas Academias et Athenaea vocabantur. Bene tibi, qui illum festum diem ita celebrasti ut, quamquam multum superas illam aetatem, quam poëta Psalmorum nonnisi valentissimis tribuit, tamen non eius exemplo quod eorum excellentissimum est dicere debeas laborem atque dolorem. Nam tu valentior es quam illius valentissimus, sanitate corporis et sanitate mentis et robore exercitatae ét scientiae èt fidei. Producat tibi Deus et vitam et vitae fructum. Nobis es vivus et vigens Cato Major, CICERONIS stilo dignus.

Tam rarum et singulare est Dei beneficium quale venerabili VAN HENGEL obtigit, ut multum laudemus fortunas illorum, cui dimidia eius pars evenerit, praesertim quum sint viri quales vos estis cll. SCHOLTEN et KAISER, in suis disciplinis familiam ducentes et principatum obtinentes. O vos felices, qui per quinque lustra Professorio munere ita functi

estis ut suavissimum vobis sit vitam ante actam et peractos labores respicere! Multum abest ut peracti labores vos fregerint, ut partae gloriae acquiescatis, sed manum strenue aratro admoventes pergitis suo uterque modo coelum et coelestia contemplari et scrutari. Macti virtute estote et quod uterque agitis eadem alacritate peragite.

Tibi cl. RAUWENHOFF, gratulamur quod quum dudum ordinarii Professoris onera sustinuisses, nunc Professoris ordinarii honorem quoque et fructus adeptus es. Nimium diu id quod tibi debebatur et ex legis praescripto et ex meritis tuis inique tibi negabatur. In te vidimus exemplum unum ex novissimis illius abusus, quem paulo ante notabam, contra disertam Legislatoris voluntatem Professores extra ordinem pro ordinariis creandi. Gratulantes igitur tibi eo amore, quo te prosequimur, simul gratulamur iis, quorum est harum rerum potestas, quod rei iniustae et iniquae imposuere finem, nam iure naturae aequum est neminem, nedum aerarium, cum alterius detrimento et iniuria locupletiorem fieri.

Lubentissime te cl. KERN, in nostrum numerum recepimus, duplici de causa. Primum te creato suppletum est tandem id quod peritissimi harum rerum judices Academiae nostrae deesse dolebant. Nunc denique sua Linguae Sanscritae cathedra constituta est. Et ad hanc rem tu tuo jure omnium primus eras vocandus, tu qui jam ante in illis studiis fama celebratus, deinde in ipsa India ex limpido fonte copiosos

latices hausisti, quibus arva patria sitientia irrigabis. Conservet erga te semper studiosa litterarum juventus illam alacritatem studiumque et ardorem, quo te statim recepit et declaravit dudum desiderata esse quae tam lubenter et cupide accipiebantur.

Debetur huius laetitiae pars vobis cll. RUTGERS et DOZY, qui JUYNBOLLII defuncti vicem benigne supplendo, fecistis, ut novae cathedrae constituendae locus esset. Si novam cathedram appellamus tamen probe meminimus, cl. RUTGERS, non nova et ante hunc diem inaudita ex ea doceri. Tu enim per multos annos optimum quemque linguam Sanscritam docuisti, sed sine pompa, sine strepitu, in umbra et otio, ut illi soli sentirent quibus benefaceres. Tu qua eras modestia benefacti tacita conscientia contentus fuisti. Accipe nunc palam gratias quas tibi veteres discipuli et novus collega meis verbis agunt.

Tres successores HALBERTSMA unus habuit, creatis cl. HEINSIO, Professore ordinario, cl. BÒOGAARD et doct. ZAAIJER extra ordinem. Est profecto quod ea de causa gaudeamus. Dulce gratulandi officium successori meo obtinget, ubi quisque eorum munus suum capessiturus est. Quem unum speraveram praesentem videre, eum quoque gravi luctu afflictum desiderant oculi, cl. BOOGAARD, quem jam biennium suavissimum collegam habuimus. Gratulamur tamen ipsi absenti et laetamur quod quum adhuc Professoris titulo tantum honoratus esset, nunc quamquam Extraordinarii nomine non dico gaudet sed

utitur, tamen et in ordine Medicorum et in Senatu sedebit. Honor, quo ornatus est meritis suis debitus, èt ipsi gratus erit èt juventuti Academicae quae illum illiusque institutionem facit maximi, quia sedebit ubi HALBERTSMA noster sedebat, cui ipse, cuius dubitamus utrum sit doctrina maior an modestia, vita luculenter describenda, monumentum suae pietatis posuit.

De Academico apparatu et studiorum adiumentis pauca addenda supersunt. Specula Astronomica, quamquam non satis laute dotata, tamen usum egregium praestat, namque habet KAISERUM et eius sollertem et ingeniosam industriam.

Museum Hist. Naturalis et Physicum et Chemicum recte et ordine se habent.

Museum Numismaticum vix unquam tantis auctibus quam hoc anno locupletatum.

Delectat animum Hortus Botanicus amoenitate et copia, et si quid aliud dici potest florere.

Verbo dicam de Bibliotheca publica quae renovata et ad usum parata doctissimum SCHOTEL historicum nacta est. Qui ea frequentes utuntur nihil desiderant quod utile sit et dulce. Spes est fore ut pars adhuc imperfecta hoc anno perficiatur. Respondet haec priori. Non deerit spatium quo reponantur libri quamtumvis multi, qui adhuc in Bibliotheca frustra quaeruntur.

Doct. BERGMAN, qui per annos duodequadraginta secundi bibliothecarii officio summa fide functus est, vertente anno,

ultro petitum otium impetravit. In illius locum nemo substitutus est, sed Bibliothecae administratio his ipsis diebus aliam formam sumsit. Cl. PLUYGERS, qui adhuc temporariam illam Praefecturam obtinebat, adeptus est perpetuam illique additi doct. DU RIEU et orn. TIELE Conservatorum titulo. Non dubitamus cl. PLUYGERS, quin ea res ex animi tui sententia ordinata sit tibique lubenter gratulamur. Mirum non est Bibliothecam, de qua optime meritus es, tibi caram esse factam et tu Bibliothecam ita administrasti, ut vix credamus successorem tibi reperiri potuisse qui rem melius quam tu gereret. Utinam diu illo honore utaris et capias industriae tuae hunc fructum ut Bibliotheca a te ordinata omnium exspectationem et spem cumulate expleat.

Nunc ad vos me converto, Studiosa Juventus. De vestro quoque numero sunt quos acerba mors rapuit. Rapuit ornatissimos KROON litterarum, BROUWER medicinae, VAN GOENS juris studiosos. Rapuit generosi animi juvenem VERBRUGGE qui quum, studiis Academicis absolutis, in eo esset ut in vitae lucem prodiret, declaravit quam bene nosset officium eius qui Medicae arti ad communem salutem vires et vitam impenderet.

Grassatur in vicino oppido morbus gravis et pestilens. Medici alii post alios aut oneri succumbunt aut mali violentia absumuntur. Implorant alienam opem. Nihil imminente periculo deterritus praestantissimus VERBRUGGE nec vitae suae parcens,

it contra magno animo. Praeclaram miseris tulit opem. Sed dum aliis parat salutem, amittit suam et illi sua animi magnitudo morte constitit. Quum ostendisset quid in se esset boni, acerba nece Academiae, parentibus, amicis, ereptus est.

Luctus omnium in tam tristi clade susceptus hoc habuit ut in clara luce poneretur quantum animi, quantum virtutis, quantum constantiae in juventute Academica inesset. Uno avulso non deficit alter. In illius locum statim subiit ornatissimus SIMONS, cui in morbum implicito succedit statim ornatissimus VINKHUYZEN. Bonum factum quod mox e morbo recreatus SIMONS, ut primum potuit, operam intermissam resumsit feliciterque perfecit.

Sic illi egregii juvenes, quos mihi contigit jam doctores salutare, decus et laudem medicorum et reliquae Academicae juventutis strenue vindicaverunt et ineunte aetate ostenderunt bonas artes quas Augustissimus Rex regie agnovit ornavitque.

Etiam alio modo studiosi adolescentes Academiae gloriam stabiliverunt. In certamine Literario Ultrajectino ornatissimus V. SLEE in quaestione Theologica et orn. BLEEKRODE in Physica secundam palmam reportaverunt.

Haec est nobilis palaestra, in quam Regis munificentia quotannis vocamini et in quam vos nunc eo acrius et alacrius invito, quia apud nos ipsos de palma contendetur. Accingito se fortissimus quisque ad certamen et circumspecto iudicio et indefessa industria. Quidquid bonum et pulchrum est improbo labore paratur.

Sic esto perpetua Academiae nostrae laus et honos, non

tantum vestra frequentia, sed vestris optimis artibus moribusque, honestate, assiduitate, Professorum observantia, studiorum amore. Sic meus successor dabit vobis testimonium, quod ego lubens vobis impertior: Rectoratum mihi facilem fecistis ita ut gravi illo munere essem ornatus magis quam oneratus.

Jamque rogo clarissimum Senatus Actuarium ut novi certaminis literarii programma recitare velit.

(*Praelegitur programma*).

Nunc munus Rectorium depono tradoque tibi, cl. PRINS, quem Rex Augustissimus in sequentem annum Rectorem Magnificum creavit. Itaque, salve Rector Magnifice, iterumque salve! Sit tibi propitius Deus O. M. in munere gravissimo feliciter gerendo. Sic te Rectore floreat Academia Lugduno Batava!

DIXI.

ADNOTATIONES.

p. 5 l. 3, *festissimus dies celebraretur.* Huius festi diei celebrationem descriptam vide in Annal. Acad. L. B. I815—16 p. 11. Cf. etiam SIEGENBEEK, *Geschied. der Leidsche Hoogeschool*, I. p. 418.

p, 6 l. 8, *praedicat is* sqq. V SIEGENBEEK l. c.

p. 6 ad fin., *praedicabat* — KEMPERUS. In oratione habita die 6 m. Nov. 1815 quam vide in *Ann. Acad.* l. c. et in KEMPERI Opp. a cl. filio editis II p. 117.

p. 7 l. 2, *antea-erexerat.* V. c. orat. habita die 26 Sept. 1812 quae invenitur in Opp, laud. II p. 45.

p. 8 l. 6, *alias* KEMPERUS. in orat. rect. die 8 Febr. 1816 habita. *Ann. Acad.* l. c. p. 162.

p. 10 l. 17, *utraque pars* sqq. V decretum dici 2 m. Aug. 1815 artt. 2; 74, 75, 110; cf. decr. d. 27 Maii 1830, art. 9; d. 28 m. Junii 1830.

p. 12 l. 4, *sordida parcimonia.* V. art. 133 decreti 1815 abrogatus decreto d. 15 Febr. 1843; art. 142 decreti 1815 et decretum d. 7 Maii 1837 a. 6.

p. 12 l. 14, *novas cathedras* sqq. Decr. 1815 a. 236.

p. 12 l. 26, *a nostro* HALBERTSMA *exopt.* V. eius Oratio hab. d. 8 Febr. 1865 L. B. ap. de Breuk ed. p. 35.

p. 13 l. 7, *non est illa culpa decreto imp.* V. decreti artt. 67, 68, 69 coll. 132.

p. 14 l. 7, *promissam — aed. acad.* sqq. Decr. a. 166, 179, 186. cf decr. d. 3 Nov. 1815, a 3 quod v. in KEMPERI Opp. laud. et in *Ann. Acad.* cit. p. 34.

p. 16 l. 5, VAN SWIETEN — *jecisse fundamenta.* v. KINK, *Geschichte der Univ. zu Wien.* I p. 442 sqq. *Beil.* p. 254 sqq.

p. 16 l. 17, *quae* H. *edidit.* Oratio laud. p. 36.

p. 17 l. 19, *lex fundamentalis,* sqq. V. art. 194 et art. add. 5.

p. 17 l. 23, *vir potent.* — *palam pronunt.* V. acta Camerae secundae Ordinum Generalium in *Bijblad* 1865—66 p. 246[1].

p. 20 l. 1, *libelli.* Diss. hist. et literaria inaug. *de Athenarum conditione sub imperio triginta tyrannorum*; diss. jur. inaug. *ad titulum Pandectarum de fideicommissariis libertatibus.* Utraque diss. def. L. B. d. 13 Dec. 1828.

p. 20 l. 7, *Quaestiones; Eenige aanmerkingen en vragen naar aanleiding van het Wetb. v. Strafv.* door Jhr. Mr. J. DE BOSCH KEMPER, door Mr. D. TIEBOEL SIEGENBEEK in *Jaarb. v. Regtsg. en Wetg.* I, 421; III, 453, 649; IV, 400.

p. 22 l. 9, *ultimum diem.* Obiit PEERLKAMPIUS die 28 Martii 1865.

p. 22 l. 14, *vir* — *ex Brittania* Doct. BADHAM, *Platonis Euthydemus et Laches.* Praefixa est epistola ad Senatum Lugd. Bat. Lond. 1865. p. LII sq.

p. 24 l. 26, Cl. BOOT. V. *S. Aurelii Propertii libri* IV *elegia* XI *rec. et illustr.* P. HOFMAN PEERLKAMP. *ed. et praef. est.* J. C. G. BOOT. p. 9.

p. 33 l. 5, *vita* — *describenda.* V. *Nederlandsch Tijdschrift voor Geneeskunde.* Jaargang 1866.